



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Patriarcharum, Et Christi Jesu Dei Hominis.
Emanvelis Thesavri Patritii Taurinens. Et Aloysii Jvglaris è
Societate Jesu**

Giuglaris, Luigi

Francofvrti, 1684

Henoch Caini Filius. Irad Henochi Filius. Vaviel Iradi Filius. Mathusael
Vaviel Fil. Censu[r]a,

urn:nbn:de:hbz:466:1-38349

Quæris quid petiverit? guttur :

Hoc enim Mortis vestibulum fuerat.

Ut non dubites in Abele multatos esse Parentes.

Ah' peccantium stolidæ mentes !

Murum putabat Cain flagitium , compresso illo jugulo.

Sed proditorem omnia produnt.

Hem fracto gutture vocalior Abel.

Hoc è Tumulo Patricidam terrefacit.

Et vivum citat extinctus.

Condisce, Viator :

Infandum facinus muta fantur,

H E N O C H

C A I N I F I L I U S .

I R A D Henochi Filius.

V A V I A E L Iradi Filius.

M A T H U S A E L Vaviaelis Filius.

C E N S U R A .

Tecum mihi res est divine Scriptor, Moses,

Quod gesta virorum quatuor,

Henoci, Iradi, Vaviaelis, Mathusaelis,

De commentariis eraseris,

Et sæcula totidem nominibus, non hominibus, distinxeris.

Sonos nimirum nomina, files vitam;

Vaucisq; trophæis undum titulum inscribis.

Quid nomina sine gestis: quod gesta sine nomine,

Utraq; perierunt; hæc auribus, illa oculis.

Perinde est carere factis, ac factis.

Fallor: Auctuarium censura libero.

Suis coloribus singulorum gesta pinguntur,

Dum à Caino dicuntur sati,

Exurgunt suos in ortus virulenta germinas:

Radicis vitium continuant thyrsi.

Deformes sunt omnes, non difformes.

Fædo exemplari similes.

Quorsum igitur avita Nepotum crimina,

Argutus ingereret Scriptor ?

Narranda non erant facta, sed mutanda nomina.

MUNDI

Aut singuli Caino similes vixere,
Aut unus in singulis Cain revixit.
Modestus proinde, non molestus Moses,
Ne vel aures loquendo,
Vel historiam silendo læderet;
Loquaci silentio
Infanda gesto nec evulgavit, nec tacuit.
Annorum etiam numerum consultò siluit,
Nihil enim vivunt, qui malè vivunt:
Nec annos impii usurpant, sed perdunt.
Novo igitur invento supplicio,
Scelestos ulciscitur dum tacet scelera:
Calamo pungit quos expungit.
Totq; capita obtruncat, quot truncat nomina.
Jacere igitur æternum,
Incesti, Latrones, Patricidæ:
Digna Caina Proles,
Pro latebra & sepulchro, silentium dono.

LAMECH

MATHUSÆLIS FILIUS.
ENTHUSIASMUS.

Quorsum Fata consulis Lameche,
Quem inconsultum facta condemnant?
Afflatus vaticinor. Quid hoc est?
Bis amans, bis amens:
Non uno contentus jugali vinculo,
Utramq; igitur pellicem, utramq; succubam facis,
Ut fatidico jam nomine arguaris.
Lamechus mœchus.
Quæ hæc discors concordia,
Cor unum in discordes scindere Conjuges:
Et alternis Liberis, alternas inducere Novercas?
Licet sine lituo, & infula prælagite:
Certum tibi odium rivales infligent Conjuges;
Cum incerti confligent amores.
Uro flagrabis incendio.

Cum